

boli interdum fieri potuerit ; aliquam submergi Sagam nequivisse, uti paucos ante annos accusata beneficij profugit ex vinculis, ad probandam innocentiam beneficij accusati se in aquam trusit, submergi vero non potuit ; Interim tamen ex iis Jus sumi debere, specialesque ea de re condi Leges, nullo modo, nullavè unquam defendi posse ratione videtur. Jura quippe constitui oportet in his, quæ ut plurimum ; non etiam quæ ex opinato & forte uno aliquo accidunt casu. Leges etiam ad ea potius aptari debent, quæ frequenter, quam quæ raro eveniunt. Quæ enim semel aut bis existunt, merito prætereunt Legislatores. L. 3. 4. 5. & 6. ff. de LL. Quod vero contraria Exempla non produci possint, simpliciter negatur.. Huic occurrit Gœdelm. d. l. 3. cap. 5. n. 35. pag. 45. his verbis : *Cum anno 1588. ex Borussia in Livoniam proficerer, invitavit me in via quidam prædives & opulentus Nobilis in suam Arcem ; Hic cum veneficam sequente die propter enormia delicta, quæ suâ magica & diabolica arte commiserat, jam ad ignem condemnasset : Quæsivit, num illam quoque prius in aquam more solito conjectisset, ad experiendum utrum rea esset, eo negante monui, ut id tentaret, (volui enim ea ratione inquirere, num hæc exploratio per aquam frigidam vera esset, nec ne, sed ecce postquam venefica à carnifice in aquam gelidam colligatis artubus fuit projecta, statim submersa est. Is postea ad me scripsit, se cum sex veneficis captiuis idem tentasse, at omnes fuisse submersas, & in fine literarum scribit : Jam demum tibi credo, signum hoc falsum, diabolicum & furiosum esse & Magistratum incautum decipere posse. Hæc illi.*

Si itaque Exempla approbanda, bona & verosimilia, non vero Diabolica & Tyrannica amplectenda sunt. Lotharius in Lomb. Jur. lib. 2. d. 11. tit. 55. vid. Lindenbrogium in Codice LL. antiquarum.

Et hæc Exercitii gratia proposuisse sufficiat, licet non omnibus pro ingenii tenuitate satisfacere licuerit.

Interim tamen DEO TER OPTIMO MAXIMO
pro viribus præstitis sit Laus, Honor & Gloria,
in sempiterna Secula !